



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia
Sacra**

Montmorency, François de

Antverpiae, 1638

Domine Dominus noster. Psal. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

PSALMVS VIII
TITVLVS,

In finem pro torcularibus, Psalmus
Dauid.

* Sic Or-
pheus alijs
veteres
Poëta Hym-
nos suos or-
diebantur à
varijs Dei
nominibus.

Domine Dominus noster, quàm ad-
mirabile est * nomen tuum in vni-
uersa terra!

Quoniam eleuata est magnificentia tua se-
per cælos.

Ex ore infantium & lactentium perfecit
laudem propter inimicos tuos, vt destruas
inimicum & vltorem.

Quoniam

ARGUMENTVM.

Hymnum hunc Rex DAVID ante Aram cecinit, & dicauit IMMENSÆ DEI POTENTIÆ & LIBERALITATI.

Strophe á.

O Rex! ô meus Arbiter!
 Non enim tibi proprium
 Reperire toto
 Licet orbe nomen!

Sis quocumque voles mihi

Sanctus nomine; sis fauens!

Ego quî pusillus

Homo, nulliusque

Pretij, capaces

Tibi comminisci

Titulos valebo;

Celi Regia si tua

Impar magnificentiæ

Super incubantis

Mole fatiscit?

Antistrophe.

Quî laudes memorem tuas?

Infans te melius puer,

R 5

Et

Quoniam videbo cælos tuos, opera digi-
torum tuorum : lunam & stellas, quæ tu
fundasti.

Quid

Et adhuc ab ipso
 Rubicundus ortu,
 Lallatu celebret suo;
 Quam facundia barbyti
 Operosioris:
 Temerè ut profano
 Modulata Vati
 Chelys erubescat;
 Sileantque lingua.
 „ In fibris tua laus mihi
 „ Malim quam sonet in labris.
 „ Speciosa quid te
 „ Verba iuuabunt?

Epodus.

Vt præconia dem tibi;
 Me non utiliùs pij
 * Liber ipse Mosis
 Queat erudire;
 Quam septemplicis atheris
 A te scripta volumina:
 Ubi signa mille
 Tibi gratulantur:
 Præcentrix ubi siderum
 Singulis noua mensibus
 Tibi Noctiluca
 Meditatur hymnos.

* Penta-
 teuchus.

Stro-

Quid est homo, quòd memor es eius? an
filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis; glo-
ria & honore coronasti eum: & constituisti
eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves &
boues vniuersas, insuper & pecora campi;

Volu-

Strophe β.

*An mortale caput facis
 Tanti, sis memor ut mei?
 Ut ab arce cali
 Mihi deuoceris?
 Natum siccine feminā
 Ad summos, Pater, euehis
 Apices honoris?
 Et ut apparatu
 Opulentiore
 Niteam, micantem
 Mihi das coronam?
 Non, si promeruit locum
 Cherubus tibi proximum,
 Hominis putetur
 Gratia vilis.*

Antistrophe.

*Illum nempe Vicario
 Sceptro conspicuum, facis
 Dare iura ponto,
 Dare iura terris.
 Illi plurima pinguibus
 Bos lactaria pascuis
 Vitulusque mugit;
 Equus hinnit illi;
 Niveumque pictis
 Pecus omne balat,*

Leo

Volucres cæli, & pisces maris, qui
ambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, quàm admi-
bile est nomen tuum in vniuersa terra!



*Leo rugit aruis.
 Illi portat AVE loquax
 Coruus : hunc volucres herum
 Reliquæ canorâ
 Voce salutant.*

Epodus.

*A mutis quoque piscibus
 Cultu suspicitur pari
 Sacer uniuersi
 Maris Imperator.
 Dum tantis hominum genus
 Auctum miror honoribus,
 Datus in stuporem in-
 gemino subinde:
 O Rex ! ô meus Arbiter!
 Non enim tibi proprium
 Reperire toto
 Licet orbe nomen.*



LECTO-